



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Symbola. Vocabula varia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Joan. 8. 6. Cum peccantem conspiciamus alium, mox inclinemus deorsum: id est, quam dejecti ex nostræ conditionis fragilitate sumus; si nos non divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus. V. Beda hic.

Qua vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus. Apoc. 11. 8. Nemo de sua virtute præsumat; sed timeat, ne cadat: cum sanctissima quondam civitas in tot lapsa sit scelera, ut Sodoma vocetur. Sylveira hic.

De Patribus, & aliis.

Sit casus majorum tremor minorum. S. August. in Ps. 50.

Ad hoc peccata illorum hominum (magnum virorum) scripta sunt; ut Apostolica illa sententia ubique tremenda sit, quæ ait: *itaque qui existimat se stare, videat ne cadat.* 1. Cor. 10. 12. Nulla enim ferè pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* S. August. de doctr. Chr. 1. 3. c. 23.

Nimiùm præceps est, qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse. Vehementer infrenis est, cui non incutitur timor aliò pereunte. S. August. lib. de singularit. Cl. ricor.

Unusquisque, tremat, cum alterum videt exisse: tanquam ex illius exitu dicatur illi: *quapropter qui se putat stare, videat, ne cadat.* Id. in illud Ps. 106. *seduxit eos in invio.* &c.

Aliorum ruinæ exempla iustorum sunt; dum omnes infirmò, & imbecillò statu, fluctuantique vestigiò, in isto sæculo commoramur; & nunquam est nostra certa, securaque, victoria. S. Hieron. in Ezech. 26.

Quid in alterius ruina exultas? nunquid, si ego cecidero, tu stabis? Licet ruina mea sit, ruina fratris; timor tuus esse debet, non exultatio. Id. in Ps. 99.

Ne insulteis cadentibus: & alienam ruinam vestram adificationem putetis. Id. in 2. Micheæ.

Monstrat insuper divina scriptura, & iustos sæpe lapsos; & peccatores magnam agentes penitentiam: quò utrinque sufficiens nobis esset remedium; & neque, qui stetit, præfidentior sit, videns & iustos cecidisse: neque qui in peccatis est, desperet; visis tot, qui restipuerunt, & ad summum virtutis apicem pervenire potuerunt. S. Chryf. hom. 21. in Gen.

Heu! quanti post gloriosos agones, de ipsò principe Mundi legitime triumphatos, fugienti terga dederunt, & victores jam victo se sponte curarunt. S. Bernardus f. 11. in Cœna Dom.

Dum cadunt, qui nobiscum stare videbantur; nos qui adhuc stare videmur, similem nobis casum evenire posse humiliter consideremus. S. Rupertus l. 7. in c. 6. Joan.

Compendiosum est felicitatis genus, alterius periculò discere, quid debeas vitare. S. Zeno Veron. f. 6. de Isaiâ.

Quanti derelicti sunt, & perierunt; qui innocentes me fuerunt! Thom. Kemp. foli. an. c. 16.

TITULUS XVII. PECUNIA.

§. I.

Symbola. Vocabula varia.

Luminare majus - & luminare minus. Gen. 1. 16. Argentum, & aurum, sunt duo magna Mundi luminaria. Argentum luminare minus; majus aurum. Solem, & Lunam, adorabant Aegyptii, Persæ, & Græci; argentum, & aurum, nemo non. Drexelius Ros. select. virt. p. 2. c. 9. §. 2.

Centum agnis. Gen. 33. 19. Pro agnis Hebr. est *Kescita*, quod RR. *nummos* vertunt. Possunt enim cum Pineda per agnos, vel oves centum, accipi centum nummi; qui dicantur agni, vel oves: quòd ovis effigiem insculptam haberent. Cornelius hic.

In gladio, & arcu meo &c. Gen. 48. 22. Dices: hunc agrum emit Jacob c. 33. 19. & Jol. ult. 32. Quomodo ergo dicitur hic, quòd eum acquiserit gladiò? S. Hieron. in gladio, & arcu, id est, in fortitudine, putà pecuniæ, quam multò labore, & sudore, acquisivi. Hebr. *Kescat* ambiguum est, significatque nummum, sicut latinis sagittarius. Hinc dictum Agefilai: se ex Asia pulsum triginta 1000. sagittariorum; cum Persarum Rex eà nummorum *Polyanth. Sacra, Tom. II.*

summâ, corruptis per Timocratem Atheniensibus, effecisset, ut è provincia discederet. Cornelius hic.

In manu sortis eduxit te Dominus de Aegypto. Ex. 13. 9. **Et armati ascenderunt filii Israel de terra Aegypti** ib. v. 18. quòd explicatu difficile est; cum eos conlisset, ab Aegyptiis, nè contra illos insurgerent, antea esse exarmatos. Non aliò recurrendum censet Hieronymus, quam ad ea Ps. 104. 37. verba: *eduxit eos cum argento, & auro.* Horat. l. 3. od. 16. aurum per medios ire satellites, & perrumpere amat saxa, potentius igne fulmineò. Doultreman de am. l. 2. Amor par. c. 1. Sect. 1.

Ad hæsit caput ejus quercui. 1. Reg. 18. 9. Crinis Absolon, quò suspenditur, radix omnium malorum avaritia est: ubi hæc radice veritè omnium malorum caesaries abundabit. Drogo Ost. de Sacr. Pass. Dom.

Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. Ecclæ 7. 13. Hebr. *sicut in umbra sapientie, sic in umbra pecunie*, scilicet confidit, & conquiscescit, & securè obdormit homo. Cornelius hic.

Pecunia obediunt omnia. Ecclæ 10. 19. Id est, propter pecuniam fiunt omnia. Magna *Hhh 2* *Abbe*

Abbatissa est pecunia; & magnum Conventum habet; cui omnia obediunt. Hugo Card. hic.

Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream. Dan. 3. 1. Nunc aurea imago (ut olim statua aurea Nabuchodonosoris) propolita est, pecunia scilicet: in qua tyrannica quaedam mammonæ formatur effigies, & ad serviendum sibi subditorum corda sollicitat. Hanc statuam adorare nolentes dicit, mitti in fornacem paupertatis: est enim terribilior pauperies igne; & amplius ferire consuevit. S. Chrysof. hom. 4. in c. 1. Matth.

Fluxum, & inconstans, hujus lucis aurum est; & quasi sphaera lusoria; ab alio statim ad alium transit. S. Alterius Ep. hom. in festum Kalendarum.

S. Franciscus Seraph. nummos vocabat muscas: musca enim semper molesta, & importuna est; sive comedas, bibas, studeas, legas, dormias; faciem infestat, ut sanguinem sugat: abacta redit ad sugendum, & vexandam. Sic cura de divitiis. Diez. Avaritia.

§. II.

Pecunia quantum ametur, aestimetur, & valeat.

Vendiderunt eum Israelitis viginti argenteis. Gen. 37. 28. Mirum est: cum de occidendo Joseph agitur, aut mittendo in cisternam; patronos habet, qui defendant: at cum de vendendo concluditur, nemo musitat, tacent omnes, & consentiunt. Judas pondus addidit: *quid nobis proderit?* quod inde commodum? venundari praestat; denarios inter nos partiemur. *Acquieverunt omnes sermonibus illius.* S. Chrysol. l. 29. sic proprii lucri cupiditas caecavit mentes eorum, sic corda depressit; ut non offensam Dei, non Sancti Patris dolorem non proprii sanguinis sensum, meminisse permiserit. Paoletti. D. 3. Adv.

Pecunia obediunt omnia. Ecclæ 10. 19. Hebr. *humiliat, & subjicit sibi omnia.* Vel, *exaudit omnia.* Vel, *respondet omnibus.* Alius vertit: *argento humiliant se omnes.* Aptè Poeta Jovi dederunt imperium caeli, Neptuno maris, Plutoni inferorum: quia opes ex imis terræ visceribus erunt; & avaros ad Infernum deducunt. Cornelius hic.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6. 24. Nummus est terræ omnipotens Deus Tertul. l. 4. Adr. Marcionem: injustitiae cultorem, & dominatorem totius saeculi, nummum scimus omnes: duos enim dominos nominavit, Deum, & mammonam; Creatorem, & nummum. Hic tyrannus potestate suâ quodammodo exaequat verum, & legitimum Do-

minum, qui est Deus. De quo Prov. 21. 1. *cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Et quid dominus nummus? dicit Ecclesiasticus 8. 3. *multos perdidit aurum, & argentum, & usque ad cor regum extendit, & convertit.* Quid extendit? Pineda in Eccl. 10. 19. extendit dominatum, & imperium, & convertit illorum corda, quocumque volet. Apoc. 19. 16. *in semore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* De nummo Ecclæ. 10. 19. *pecunia obediunt omnia.* Cajet. *argentum humiliat omnes.* Did. Niff. D. 14. Pent. §. 2.

Revertit triginta argenteos, & projectis argenteis in templo. Matth. 27. 3. 5. Vide, quam magni faciebat illos: non projecit eos in sterquilinio, sed in templo: nimirum talibus semper diis templum suum devoverat. Drogo Ost. de Sacr. Pass.

Ubi pecunia, ibi Rex; Drogo Ost. de Sacr. Pass.

§. III.

Pecuniam spernendi motiva.

Non est factum tale opus in universis regnis. 3. Reg. 10. 20. Salomon è puro auro fusiles sex gradus fecit ad regale solium confectendum, teste Philone lib. 1. de Monarchia. Solium speramus in caelo sublime, deliciis plenum, & stabile. Ad hoc turissimè itur per argenteos, & aureos, gradus; sed calcatos. Drexelius Ros. sel. virt. p. 2. c. 9. §. 3.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam. Matth. 10. 9. Cur hoc solum prohibetur? cur non etiam greges, & armenta bouum; & ovium? Christus D. informabat eos in omni perfectione: & hoc maxime consistit in auri & argenti, contemptu. Sylveira in Act. 20. 33. q. 11.

Ponebant ante pedes Apostolorum. Act. 4. 35. S. Hieron. ep. 8. ad Paulinam: quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in cedentibus fides; vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes? ut ostenderent, pecunias esse calcandas, nihilque faciendas.

Argentum, aut aurum, nullius concupi-vi. Act. 20. 33.

Quid homini pecunia sua? nisi quoddam viaticum est. Multa oneri, moderata usui: viatores sumus vitæ hujus, S. Ambros. ep. 44.

Pecunia servus DEI nihil aliud est, quam diabolus, & coluber venenosus. S. Bonaventura c. 7. n. 5. vitæ S. Francisci, fratribus usum pecuniae interdicens aiebat,

Foenus pecuniae, funus est animæ. S. Leo de jejuniis decimi mensis.

